

cap. XXII, II, articulus tamen nullus est appositus. Deinde haud male pronunciat *Lightfoot. in Hora Hebr. ad b. l. Job.*, non addi speciale *Paschatis* nomen ab Evangelista *Job V, 1*, quia verba Christi satis elucidationis esse possent de re ista, *Cap. IV, 35*. præcedentia, pariq; modo differit *Chemnitius in proleg.* cit. p. 12. Christus enim in oratione ad discipulos propè Samariam *Job. IV.* habita, sequentibus verbis indicat messem adhuc quatuor menses abesse: *ἐν τετραμήνους ὄσι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχε*). Si igitur post præterlapsum Pascha primum, juxta *Job. II, 13, IV.* adhuc menses erant usq; ad messem, sequitur, quod in nostro *Cap. V.* per festum non possit indicari *Pentecoste*, statim post Pascha primi anni memoratum secuta, cum inter hæc duo Festa 50. tantum dierum s. 7. hebdomadam spatium intercessit, non a. 4. mensium. Porro neq; etiam *tabernaculorum*, quod *Hunnius* nominat, festum primi anni intelligi potest, quia, si messis post Pascha in *Aprili* vel *Majo* inchoata fuit, ut 4. menses obtineantur, statui debet: mense *Decembri* vel *Januario* verba hæc à Christo esse prolata, cum *tabernaculorum* festum jam præterito mense *Septembri* celebratum esset, sicut & *Encæntorum* festum, ne fortè illud afferas, præcesserat mense *Novembri*. A *Decembri* autem usq; ad sequens Pascha nullum tale incidit festum, quod Deus instituit per Mosen Hierosolymis celebrandum. Primus, qui illud Pascha in narratione *Jobannis* eruditè certò & liquido monstravit, est *Andreas Ostander*, cum *Jrenæus* vestigia quædam ostenderit, juxta effatum *B Chemnitij in Harmonia Proleg. Cap. 3. p. 11*; quod nisi monstratum esset, tria saltem haberemus Paschata, ac periret elegans illa ex *Daniele* à *B. Luthero* & aliis prolata annorum ministerii Christi ratio. Nam Propheta, postquam indicasset *cap. IX, 27*: *Messiam confirmatum esse fædus* (ab inchoato ministerio) *per septimanam*, pergite: *in medietate septimane* (quæ, si intelligas annos per dies, conficiet tres annos & aliquot menses) *finem imponet sacrificio*, sc. abrogatione per mortem suam reali, quâ præstita umbræ Leviticæ cessabant. Jam autem harmonia *Danielis* & *Jobannis* observatione ista clarè ob oculos ponitur, Christi ministerio in terris tres integros, & partem quandam quarti anni tribuendo. Conf. de